



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Stanislavs Mart. 7. Maii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

S. STANISLAUS Martir

7. Maii.

Testimonium perhibente verbo gratia sua, dante signa & prodigia fieri per manus eorum. Act. 14.

Justitia Præsides multos habet, Patronos
 paucos. STANISLAUS adeo Cracoviensis
 Antistes mortuum citare testem coactus
 est, ne optimâ causâ caderet. Prædium à
 Petro viro nobili emptum, fraude amico-
 rum ejusdem propè perdiderat, nisi illum
 ipsum Petrum trienio ante defunctum ad
 judices redivivum adduxisset, quem nemo
 vel intestabilem ausus est dicere, vel refuta-
 te. Virorum severus vindex semper audit;
 ignarus regulam flectere, seu pauperum
 tabernas, seu regum Palatia metiretur. In
 omnem peccandi licentiam Boleslaus Rex
 protulerat, quem nequicquam Stanislaus
 piorum tribu movit. Non erat Rex huius
 probro concoquendo; sed vindictam spi-
 rans, satellitibus ad aram stantem; victi-
 mam objicit, iisque tertium divinâ virtute
 vim asserre prohibitis, ipse carnificis mu-
 nus

nus occupat, & laniati à se Antifistis mem-
 bra dispergit. Damnarunt crudelitatem
 quatuor aquilæ, perpetuis excubijs Reli-
 quias tutatæ; donec miraculo cælestique
 luce exciti mortales, eas in urnam compo-
 nendas legerunt. Juvit pietatem divinâ
 manus, lacerosq; inter se artus ita colligavit,
 ut nullum crudelitatis vestigium superesset.
 Non sustinuit impius Rex tam luculentam
 insanix suæ exprobrationem; sed regnum
 exilio mutavit, omnium hominum odium,
 cum Stanislai triumphum etiam Aquilæ
 auferent. *Ex Suvio.*

M E D I T A T I O

De periculis mundi.

1. **I**S, quem suscitârat STANISLAUS, iterum mori
 maluit, ac Purgatorios ignes repetere, quàm
 diutiùs versari in periculo salutis; nec injuriâ, liqui-
 dem salus periclitatur in omni arte, ætate, conditi-
 one. Cave tibi, semper advigila. Si tibi adhuc
 integrum sit, vivendi genus eligere, elige tutiùs,
 & remotiùs ab occasionibus peccandi.

2. Nullus est locus, in quo peccare non possis: In
 ipso terrestri Paradiso Adam peccavit, peccarunt
 Dæmones in cælo: Admittuntur peccata in urbi-
 bus, in solitudine, in pastorum tuguriis, in pala-
 tiis Regum, in templis, ac ædibus Deo consecra-
 tis.

tis. Ubiq; dæmonem, ubiq; te ipse invenies. Quid vitam hanc tam lubricam amas? Quid placent tibi maris hujus procellæ? Quid securus dormis, tamen nescias, utrum naufragium facturus sis, an feliciter ad portum venturus?

3. Ut mundi periculis expediaris, recede ab hominum turbâ: Ama solitudinem: nam solitudo parens est, nutrix, ac conservatrix virtutum. Si ab hominum consuetudine semper abstinere non possis, abstine quàm poteris sæpissimè. Memento denique, Deum esse ubique, ac singulas actiones tuas videre. *Si peccare vis, quare, ubi te non videat Deus, & fac, quod vis.* August.

S. AMATUS Conf.

8. Maii.

Et in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit. Jerem. 9.

AMATO Saludecium patria fuit. Parentibus in tenera ætate amissis, multa tulit fecitque Puer & Adolescens, etiam viris imitanda. Amor castitatis prima illi bella excitavit, sceminâ classicum cantante, proprio sexûs sui genio. Ea fratri Amati

X 2

nupta